

Q.K.353,37

X 1880342

IIK  
5140

Q.F.F.F.Q.S.  
**JUS CLARI-**  
**GANDI**  
**DISCURSU POLITICO**  
PRÆSIDE  
**DN.M.JOHANNE CLODIO**

*Expositurus disseret publicè*

A. S.R.

CAROLUS HENRICUS Landsberger /  
Dresdensis.


In Auditorio Veteri

Ad diem XVII. Aprilis

H. L. Q.C.

---

VVITTENBERGÆ,  
Excudebat Johannes Hake.  
ANNO M DC. LXXII.



R4



282.  
I. R. A. D. O. S. I. U.  
G. A. N. D. I.  
D. I. S. C. G. R. E. P. O. T. T. O  
D. N. M. I. O. I. A. N. N. E. O. L. O. D. I. O  
C. V. R. O. L. I. S. H. E. N. R. I. C. I. S. E. n. d. e. p. e. r. a. l. a.  
K. U. T. T. I. S. T. R. I. K. E. G. E.

## THESS. I.

**Q**uam sanctum & venerabile Gentibus perpetuò extiterit JUSTITIA  
 nomen, de cō pleni sunt omnes libri, plena Sapientum voces, plena  
 exemplorum vetustas. Qvis enim unquam à Justitia in tantum abhorruit,  
 ut in justissimæ etiam causæ suæ non prætexeret titulum, qui Justitiam, &  
 splendide quidem, mentiretur? Quanquam interim nobis non placeant,  
 qui umbram pro virtute sectentur. Faciem, quam personam, malle debe-  
 mus. Ut verò in aliis omnibus ferè: Ita vel maximè in armorum negotio  
 justitiam causæ suæ relucere voluerunt cultiores populi. Nec præter cau-  
 sam. Nihil enim tam naturæ adversum est, quam Vis externa, & in hæc  
 tamen belli illati moles quam maximè consistit. Tegenda igitur, molli-  
 enda certè, Vis ista justæ causæ nomine. Justæ, dico, non justificæ, quæ  
 Grotio (α) vocatur, aut τε φασί, Polybio nuncupata Bella, quæ absq;  
 causa suscipiuntur, ferina sunt, & mera dicitur insania. si quis in bella fe-  
 ratur, periculorum propter ipsa avidus. Ipsa Hobbesii Politica, alioquin  
 satis inhumana in multis, ut, judicio quorundam, ultricibus etiam  
 flammis non indigna sit, à bello ad pacem inclinat. Eisi enim status ho-  
 minis extra Superiorem ipsi (quo jure, nunc non dispuo) inducat jus me-  
 rum omnium in omnia, seu Jus belli, nihilominus tamen, cum status bellū  
 sit exitiosus, teneri quemlibet sanâ ratione duce, ut se disponat ad pacem  
 seu statum in una Civitate, quantum in se est, constituta: Sed hæc vice  
 examinare instituti ratio non feret. Illud saltem assero, moratores qua-  
 vis gentes id semper egisse, ut belligerandi causis se nisi justissimis non  
 modò crederent ipsi, sed exteris quoq; omnibus, imò ipsi etiam, si fieri  
 posset, adversæ parti persvaderent. Romanos siso in præsentia. Hos e-  
 nim famam Justitiae in bellorum causis, si non semper obtinuisse, certè affe-  
 ctasse, nemo nisi literarum Romanarum prorsus ignarus, inficias ibit. Certe  
 quidem, inquit Rhodii apud Livium (β), vos estis Romani, qui ideo felici  
 bella vestra, quia justa sint, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum, quod vin-  
 catis, quam principiis, quod non sine causa suscipiatis, gloriamini. Frequens in-  
 de in Romanorum monumentis mentio extat justi pugnæ belli, justorum pio-  
 rumq; armorum. Ultramq; quod ajunt, paginam implet istud belli Epithe-  
 ton apud vetustos Autores. Apud Livium leges, Quintiū per legatos Athe-  
 ton

A 2

niesi-

(α).l.II.de FB. &amp; P.c.22.n.1. (β) lib. XLV. ab V.C.c.22.

nientibus & Achivi testatum, iusto pioq; bello se persecutum Boeotios (γ). Scipionem item Hannibali demonstrantem, Mamertinorum sociorum periculum & Sagunti excidium justa ac pia genti suæ arma induisse. (δ) Ad eundem modum Livius recenset alios, adversus injusta arma, pio iustoq; se tutantes bello. Nec minus justa illa & pia cum exteris bella recitat Florus. (ε) Quin & Curtius. (ζ) Sed & Svetonius hic laudandus est, qui ex eo, quod Alexandrina navis Dertosa appulerit armis omista, sine Gubernatore, sine navi aut vectore ullo, nemini dubium fuisse afferit, iustum piumq; & faventibus Diis bellum suscipi. (η) Et, qui fortè primò dicendus erat loco, Cicero, dum bellum neq; justè, neq; piè gestum memorat (η). Innumera ejusmodi plura imprimis apud Livium (ι) occurunt de iusto pioq; bello, cui à Cicerone (κ) injustum, impium & nefarium oppositum invenies bellum, itemq; arma iusta à Liviō (λ). THES. II.

Quale autem belli genus hoc nomine appellandum censuerint Romani, ex Antiquitatum Scriptoribus colligere in proclivi est. Nimirum, ut hodièq; justæ belli offensivi causæ numeros implet vel justa vindicta vel rerum iustè ablatarum repetitio (ad duo enim hæc capita summatim rededit rem ipsum Jus Canonicum (μ)). Justa, inquiens, bella solent definiri, qua ulciscuntur injurias. Sic gens & civitas petenda est, qua vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est.) Ita Romani, qui bella & tardè & nulla licentia suscipiebant, eo quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, teste Varrone, etiam ob injurias sibi illatas ad arma prosiluerunt, nec prius, quā per certos Oratores, de quibus mox, res suas, sed frustra, repetiissent. Audiamus hic ipsummet Consulem gentis, Tullium: *Ac belli quidem (sunt ejus verba) & quitas sanctissimè Feciali populi Romani jure præscripta est, ex quo intelligi datur, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum aperte sit & indictum (ν).* Ortum hinc CLARIGATIONIS nomen., id quod Rubrum Discursus nostri præse fert. Proinde ejus non immerito hic delibanda venit origo, quamvis illa ei nequeat esse obscura, qui clare partes suas egisse hic Feciale cognovit ex monumentis veterum. Producemus hâc vice Servium (ξ). *Qvum Romani (ait ille) vellent bellum indice cere, Pater P. tratus, hoc est, Princeps Fecialium proficicebatur ad hostium si-*

(γ) XXXIII. 15. (δ) XXX. 31. (ε) lib. II. Rer. Rom. (ζ) I. V. de Reb. Alex. (η) in Galbae, X. (η) lib. II de inventione. (ι) I. III. IX. IX. &c. (κ) Oration. I. in Catilinam. it. de Divinat. & lib. X. ad Attic. (λ) I. VII. ab V.C. (μ) c. Dominus XXXIII. q. 2. (ν) lib. I. de Offic. (ξ) in lib. IX. Aeneid. Virgilii.

nes, & praefatus quedam solennia clara voce dicebat, se bellum indicere propterea certas causas, aut quia socios laerant, aut quia nec abrepta animalia nec obnoxios reddiderant: Et bac CLARIGATIO dicebatur à CLARITATE vocis. Hæc ille. Qui igitur res suas clare, id est, publicè & palam, clarâg̃, voce agit, in citra controversiam clarè-agere, vel clarigare appellandus erit, perinde ut remos agens remigare, vel fumum agens seu faciens fumigare analogicè dicetur. Non placet alterum illud Etymon, qvod è Græcia petit Servius (o). Clarigatio, inquiens, dicta est aut à clara voce, quâ utebatur Pater Patria, aut πό τῷ κληρῷ à sorte, eo quod per bellorum sortem invaserint agros hostium, quomodo ferè apud Græcos κληρονόμοι dicuntur, qui jure sortiuntur bona defuncti. Quid enim opus ab exteris emendicare, qvod domi sufficienter habeas? Abiectum istuc sapere arguit ingenium.

### THES. III.

Sed de hoc facilius forsitan erit transactio. Illud altioris videtur esse īdiginis, quidnam Clarigationis notio inferat. Et quidem primævā īpositione ac propriè Repetitionem rerum significasse extra dubium est. Perspicuè fatis id exposuit Plinius (w). Hæc (de verbenā loquitur) semper & legati cum ad hostes Clarigatumq; mitterentur, usi, id est, res raptas clarè repetitum. Quem Turnebus procul dubio sequitur, quando res repetere asserebat esse clarigare. (p) Et hinc tam frequens apud Scriptores Romanos rerum repetendarum locutio. Modo enim Palepolim Feciales ad res repetendas missi referuntur à Livio; (σ) modo ad unum omnes jungendū fœdus cum Lucanis resq; repetendas à Samnitibus cœluerūt apud eundem. (r) Iterum Legati à Senatu ad res repetendas in Macedoniam, renunciandumq; amicitiae Regis ablegati recensentur. (v) Similiter Valerius Maximus (φ) Legatos à Senatu Tarentum ad res repetendas missos commemorat. Et hic convenienter ferè omnes velut in velabro Olearii. Intri- catius videtur id, num Clarigatio quandoq; etiam Repræssalias, quas barba- re vocant moderni Politici & JCri, denotet & in specie quidem αὐθολη- φία? Ita Marcellus Donatus colligere vult ex loco Liviano (χ), ut, qui per Clarigationem magis personarum prehensionem, quam rerum inferri contendit, eò quod Veliterni, qui cis Tiberim (nam trans Tiberim habitare quodammodo infame fuisse observavit Turnebus (ψ)) deprehensus fuisset, usq; ad mille pondo Clari-gatio constituta fuerit; Cui etiam favet Marti- nius (ω). Sed quam imbelle & imbecille sit istud argumentum, malo ex-

### A 3

(o) ad X. Aeneid. (w) l. XXII. N. H. c. 12 (p) l. XXI. Adversaria. c. I. (σ) l. LIX. ab U. C. (r) l. X ab V. C. (v) l. XLII. ab V. C. (φ) l. II. memorabil. c. II. (χ) l. IX. l. 4. (ψ) l. IV. Advers. c. 43. (ω) in Lexic. Philolog. sub voce Clarigo.

primere verbis Magnif. ZIEGLERI, quam nostris. Ita autem Ille: Non utiq; quia personæ aliquando Clarigatio est, rerum ea non erit: Neg; propter ea in personis potius locum habebit, quam in rebus: Imò saepius de rebus fit disceptatio inter Gentes quam de personis, & hinc in denuntiatione bellica per præmissam Clarigationem saepius res repetebantur quam personæ. Quam in rem citat Grotium (aa). Accedit, quod ad mille pondo usq; Livio dicatur esse Clarigatio. (Quid enim sibi velit lectio Martinii (BB) usq; ad mille passuum pondo, fateor, me nō satis capere) Rerū igitur potius erit quam personæ, pecuniæ scil. ejus, quam à nomine dari debuit. Et præces fit igitur prebensiō personæ, secuta est Clarigatio multæ ad mille pondo. Ita Vir πολιτικώτατος (γγ); Ubi & Limnæum castigat, qui (δδ) Clarigationem, nescio quam privatam, procudere, & hanc demum cum Repressaliis, barbarè sic dictis, coincidere voluit: Cum partim ista Clarigatio Veliternorum, eis Tiberim deprehensorum, autoritate & lege publicâ permissa fuerit, partim & privata illa (quam nominat) à Repressaliis aliena sit, eò quod hæ publica omnino autoritate decernantur & publico nomine exerceantur. Deniq; laudatus D. D. Zieglerus affinitatem utriusq; eruit his verbis: Dicendum igitur, Clarigationem non per omnia convenire cum Repressaliis, sed in eō maxime, quod uti in Clarigatione bellica, quam publicam dixit Limnæus, res ablata prius repetuntur, quam bellum indicatur: Ita & res prius repeti debeant, quam Repressalia decernantur. Hactenus ille. Aqvo fonte etiam haurire licebit differentiam Pignorationis à Repressaliis vulgo negligi solitam (ee). Ab his enim libenter abstinemus manum, ne in alienam segetem mittamus falcem nostram.

#### THES. IV.

Illud adhuc, antequam hinc abeamus, dispiciendum erit, utrum Clarigationis nomine præter Repetitionem rerum actus denunciandi belli comprehendendi possit? Et sanè non abhorre videtur ab hoc notio ista, si Servii verba superius citata penitus introspiciantur. Addo tamen & illa, quæ idem habet (ζζ) Clarigationē, inqviens, exercere, hoc est, per Feciales bellum indicere. Nec dissentit hic Martinius (etsi quædam cum grano salis legenda sint) qui non præter rem significationes ita distingvit ut Clari-  
go sit (1) clare repeto ablata (2) androlepsie jure utor (3) bellum indicō negantib⁹ justa; Et sic primam significationem dicit propriam, reliquas metonymicas ex eventu. Subjungit: Et hæc non immerito sub una voce continentur, quæ etiā à clarā & aperta actione commode est rei imposta. Hujusmodi complexum vocis sensum exhibet etiam Dissertatio nostra, ut adeò unā cum ne-

gatis  
(aa) de J.B. & P. III.3.7. (BB) loc.cit. (γγ) Exercit. XI. de Repress. thes. IV. (δδ)  
ex loc.cit. Livii (ee) loc.cit. thes. V. (ζζ) ad lib. X. Aeneid.  
(ηη)

gatis rebus, quæ jure & solenniter repetebantur, Denunciatio bellica comprehendatur. Interim in verbis & hic erimus faciles, modò in re conveniamus. Hinc frustra forem, si in iis refellendis occuparer, qvibus teste Cœlio Rhodigino (nn) Clarigatio est talea nummariorū. Hoc enim commētū, cum ruinoso valdè, vel rectius nullo, nitatur fundamento, facillimè corruere nemo non videt.

## THE S. V.

Sed nunc proprius ad rem deveniendum est, ubi primas sibi partes vindicabit mos in rebus repetendis à Romanis observari solitus: Magna hic fuit Fecialiū opera. Horum enim ministerio res repetitas fuisse, quis ignorat? Prolixum hic dieendi argumentum se sisteret, si in ultimam eorum originem eundum esset. Antiquissima illa est, ad minimum à Regū a vno inde accersenda, licet in Regis imperio dissideant Autores, plerisque institutionem eorū Anco Martio, aliis ipsi etiam Numæ vindicantibus. Pro illis facit Livius, (77) his favet Plutarchus in Numa, & Dionysius Halicarnass. (ii) Quid imò hic posterior ultra Regum tempora ascendens ad antiquissimos usq; Aborigines usum Fecialiū, sub nomine σπονδοφόρων, refert (xx). Minus autem adhuc nos sollicitabit Criticorum ἀχείβεα, qui circa Originem grammaticam mitè litigant & tantum non bella sibi denuntiant. Sive enim cum Varrone à fide, sive cum Nonio & Festo à faciendo fœdere, ceu jure ipsis competente, sive cū Martinio à fando Fatiales, dicas Feciales, perinde nobis erit. Nec in jus vocabimus quē quā ob scriptiōnem, sive Fecialis sive Fœcialis sive Fetialis scripsit, per nos omnia protinus alba erunt, modò nos liberè nostro abundare patientur sensu. Ex horū classe quatuor mittebantur cum clarigatu; Ita enim Varro in genere differit (λλ) Feciales, ait, quod fidei publicæ inter populos præ erant. Nam per hos siebat, ut iustum contiperetur bellum (ε inde desitum) ε ut fœdere fides pacis constituetur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent. Et specialiter idem de vita populi Rom: apud Nonium: Itaq; bella ε tardè ε nulla licentia suscipiebant, quod bellum nullum, nisi pium, putabant geri oportere ε priusquā bellum indicerent ijs, à quibus injurias factas sciebant, Feciales legatos res repetitum mittebant ΚΥΑΤΗΟΡ, quos Oratores vocabant. Inter hos autem Princeps quidam erat, qui Servio est Pater Patratus & procul dubio Verbenarius ille Plinii, ab usu verbenæ in Clarigatione sic appellatus. Ita enim Servius (μμ): Verbenæ propriæ est herba sacra, sumpta de loco sacro Capitolii, quâ coronabantur Feciales & Pater Patratus fœderati facturi, vel bella indicturi.

(nn) lib. V. lection. antiqu. c. 2. (77) I. 32. (ii) lib. I. antiquit. Rom. (xx)

loc. cit. (λλ) lib. IV. de L. L. (μμ) ad XII. Aeneid.

Non  
pro-  
s fit  
per  
rem  
ari-  
do,  
ijus,  
est  
Li-  
cu-  
re  
ns-  
qvā  
re  
gle-  
non  
ris-  
m-  
an-  
no-  
ost-  
belli  
a, si  
n &  
Feci-  
ano  
ari-  
tib  
mi-  
ur,  
om-  
ne-  
atis  
(δδ)



288.  
dicturi. De cœtero eū Princeps ille Fecialium Patrū Patrū nōmen obtinuerit, de eo consuli potest Rosinus (vv) & Martinus (ξξ.) Dionysius Halicarnass. unum Fecialium (quos ille εἰρηνοδίκας vocat) ornatum introducit οὐτική Φορήμασιν ἵεροῖς. (oo).

## THES. VI.

Hic, quā formulā usus fuerit in rebus repetendis, docet Livius, (ωω) ut qui de Latinis, agrum Romanum deprædantibus & Legatis ab Anco Reges repetitum missis, verba faciens ita inquit: Legatus (Fecialem illum Principem intelligit) ubi ad fines eorum (hostium) venit, unde res repetuntur, capite velato (filum lanae velamen est) Audi Jupiter, inquit, audite fines, (cuicunq; gentis sunt, nominat), audiat fas, ego sum publicus nuncius populi Romani, iuste pieq; legatus venio, verbisq; meis fides sit. Peragit deinde postulata. Inde Jovem testem facit: Si ego injustè impieq; illos homines, illasq; res dedier nuncio populi Romani mibi exposco, tum patriæ compotem me nunquam finas esse. Hac, quum fines supra scandit; Hac, quicunq; ei primus vir obvius fuerit; Hac, portam ingrediens; hac forum ingressus, paucis verbis carminis, concipiendog; Jurisjurandi mutatis, peragit. Si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus & triginta (tot enim solemnes sunt) peractis, bellum ita indicit; Audi Jupiter, & tu Juno: Quirine, Diig; omnes cœlestes, vosq; terrestres, vosq; inferni audite; Ego vos restor, populum illum (quicunq; est, nominat) injustum esse, neg; jus persolvere. Sed de istis rebus in patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur. Addatur hic Dionysius supra laudatus, ut & Plutarchus in Numâ. Hinc conficimus, rebus repetitis, nisi ea redderentur, bellum denunciari consuevit. Exempla apud Livium præstant complura. Ita propinquitas Faliscorum cum Hetruscis curam Patribus acuisse dicitur, ut Feciales mittendos ad res repetendas censuerint, quibus non redditis ex autoritate Patrum, jussu populi bellum Faliscis indictum. (pp) Eundem in modum Patres, Fecialibus ad res repetendas missis, bellum, quia non redderentur, solenni more indixisse dicuntur. (σσ) Postquam enim Nuncius Romanus reversus Senatui negatam repetitionem significaverat, tūm in medium consulebatur, in consilium belli indicendi adhibitis ipsis met Fecialibus. Argumento sunt illa Livii, ubi Feciales, à Sulpicio Consule rogati, utrum ab ipsis nunciandum esset Philippo Regi bellum, amērō satis fuerit in finibus Regni nunciari, decreverunt, utrum eorum fecisset, recte facturum. Formulam Regis consulentis Patres super hāc re

terum

(vv) l. III. antiqu. Rom. c. 21. (ξξ) in Lexic. Philol. sub illâ voce. (oo) l. II. antiqu. Rom. (ωω) loc. sic. (pp) X. q. 2. (σσ) l. VIII. ab V. G.



terum suppeditat Patavinus Urbis Scriptor, qui s. c. videri potest. Ubi ergò major pars eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu populi fieri solitum. Illud ut solenniter promulgaretur, Fecialis hasta instructus ad terras hostium processit, eam in fines eorum intorsurus, recitatis prius verbis quibusdam solennibus. Ritus illius, hastam mittendi in indicendo bello, mentio non est insolens in Historicis & Poëtis: Testimonia ipsa omittere cogimur, nam tempus jam nos admonet, ut Fecialem, Romanum belli præconem jam audiamus; Ita autem ille tribus puberibus præsentibus ordiebat, bellum Latinis denunciaturus: *Quod populi priscorum Latinorum, hominesq; prisci Latinii adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, Senatusq; populi Romani Quiritium censuit, consensit, concivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret: Ob eam rem Ego Populusq; Romanus populis priscorum Latinorū, hominibusq; priscis Latinis bellum indicō facioq;. Hanc belli indicandi formulam.* Agellius (TT) ex Cincio paulò aliter conceptam refert: *Cincius ait l. 3. de re milit. Feciale populi R. bellum indicentem hostibus, telumq; in agrum eorum jaciente bisce verbis uti scripsit: Quod Populus Hermundulus, hominesq; populi Hermunduli adversus populum Rom. bellum fecere, deliqueruntq;: quodq; Populus Romanus cum populo Hermundulo, hominibusq; Hermundulis bellum jussit, ob eam rem Ego Populusq; Rom. Populo Hermundulo hominibusq; Hermundulis bellum indicō facioq;.*

### THES. VII.

Et hoc alterum est, quod Clarigationi innexum erat, vel, ut alii maiunt, quod Clarigationem comitabatur, *Denunciatio bellica*. Meretur momentum rei, ut paulò accuratius augustum hoc excutiamus argumentum. Pietatem certè ac Justitiam spirat, quod Romani aliæq; cultiores gentes Denunciationem bello præmiserint. Magnus GROTIUS duo ad iustum bellum seu jure gentium solenne reqvirit; alterum, ut inter summas potestates geratur, alterum, ut publicè decretum sit, utq; ejus significatio ab altera partium alteri facta sit (vv). De priori non multum solliciti erimus hāc vice. Consentit hic universus ferè Politicorum confessus. Privato ad tantam rem nulla auspicia. Nam quæ à tali geruntur, Latrocinia dicenda sunt. Bellum gerere præterquam Mæstati in Republica conceditur nemini. Observatum id non solum in antiqua & recentiori Romanorum Republ., sed & hodierna Germanica, imò qualibet benè constituta san-

B

Etissi-

(TT) lib. XVI. N. 1. c. 4. (vv) lib. III. de J. B. &amp; P. c. 3. n. 4. §.

obti-  
Hali-  
ducie  
  
(w)  
o Re-  
illum  
verum-  
fines,  
populi  
postu-  
isq; res  
iquam  
obviue  
minis,  
poscit,  
ndicit;  
s, vosq;  
ustum.  
lemus,  
datus,  
e red-  
m pros-  
n Patri-  
nt, qui-  
dictum.  
bellum,  
n enim  
averat,  
is ipse-  
Sulpitio  
lum, an-  
rum fe-  
nac re-  
terum  
. antiquo

etissimè obtinet. Ita crimen læse Majestatis incedit, qui bellum in Imperio, invito Imperatore & Ordinibus indicit, pœnâq; fractæ pacis coercetur. Certè Plato capitaliter punit eum, qui pacem vel bellum fecerit cum aliquibus, sine consilio & decreto publico. (φφ) Lex Julia illum Majestatis reum proclamat, qui injussu Principis bellum gesserit, delectumve habuerit, aut exercitum comparaverit. Miror, Abrahamum adversus Reges Oriëtis belligerantem, in contrarium adduci ab ipsomet Grotio. (χχ) Cum Abrahamus non fuerit persona privata, sed sue gentis Princeps, notante laudatissimo Zieglero (ψψ). Etsi enim eum Regem Damasci afferere nolim⁹ cū Josepho (ωω) Eusebio (ααα) aliisq; in hanc rem citatis à Nicolao Damasceno; Nihilominus tamen non fuit merè privatus, sed in districtu illo Regulus aliquis vel Princeps. Agnovit illud Cornelius à Lapide, dum inquit: *Habebat (Abrahamus) jus belli, tanquam Princeps independens familia sua numerosa, & ab aliis populis segregata à Deo constitutus.* Vid. D. D. Oſſander (cccc).

## THES. IX.

Sed hæc ulterius persequi supersedemus, gravissimam Indictione belli materiam delibaturi. Eam autem non dubitamus ex ipsomet Naturalis Æquitatis fontibus derivare. Ubi tamen supponimus, bellum non tam in pœnam suscipi, quam in vindictam, eoq; vindicativum esse, quælia Romanorum illa, quæ hactenus à nobis recitata sunt, erant. Quicquid etiam sit de Grotio, qui nusquam non immiscet id, quo à delinquente poena depositur. Certè rationi naturali apprimè consentanea videtur illa Indictio, si belli attendamus finem rationemq;. Utiq; Natura jubet, ut omnia prius tententur, qvam sanguinolentus & dubius belli eventus subeat: At denunciationis bellicæ finis hic est, ut secum deliberare queat hostis, num satisfacere pro injuria aut damno dato velit, an verò bellum expectare. Bellum illud est justitiae obtainendæ ultimum instrumentum. Nihil non pacis causâ suscipi agive oportet. Atqui verò facta denunciatione sèpè audivimus reconciliatos hostes, dum altera pars remisit, altera satisfecit, ponderatis utrinq;, quæ ex bello sequentur, calamitatibus. Quandoquidem igitur, concludit Dn. D. Zieglerus (γγγ) fieri potest, ut facta denunciatione satisfacere malit hostis, non erit utrig in bello vindicativo ea omittenda. Ut adeò Grotius paulò infra justum sapiat, dum naturali jure nullam hoc casu ubi vis illata arcetur, indictionem requiri (δδδ) & non nisi honeste & laudabiliter ejusmodi interpellatio-

(φφ) lib. II. de LL. (χχ) l. I. de J. B. & P. c. IV. n. 1. (ψψ) ad loc. cit. Grotii p. 163.  
 (ωω) l. I. A J. c. 8. (ααα) l. IX. de præp. Evang. c. ult. (βββ) Annos. ad Grot. p. 338.  
 & 526. (γγγ) loc. cit. p. 533. (δδδ) l. c. n. VI S. 10

tionem interponi contendit. (ee) Ipsum Ius divinum istam Denunciatio-  
nem præcepit Israëlitis, & quidem ita, ut ad alios quoq; commodè ex-  
tendatur & superstructa etiam Naturæ lumini intelligatur. Hic vero ex  
adverso dicentem iterum deprehendimus Grotium, qui præceptum il-  
lud, quod Deus Ebræis dedit, ut Civitatem oppugnandam prius ad  
pacem invitarent, specialiter illi populo datum vult, eoq; malè à non-  
nullis cum jure gentium confundi (ζζζ). Hæc ut eò melius percipian-  
tur, non alienum erit ab instituto nostro, Ritum clarigandi Ebraorum at-  
tingere ex jure gentis illius.      THES. IX.

Bella Ebraorum Offensiva duplices erant generis. Legalia alia, a-  
lia Ultronea seu Spontanea dicebantur. Illa, quæ jussu divino per Mo-  
sem promulgato gerebantur; Hæc a ., qvæ pro finibus Regni produ-  
cendis suscipiebantur. Legalia debellarunt septem illos populos à Dco  
devotos cum Amalekitis, quibus Rabbi Maimonides (nnn) addit hostes  
eos, qui tribum aliquam Israëliticam invadentes à reliquis tribubus re-  
pellendi erant. Ultronea pro dilatatione imperii suscepta non omnes  
obligabant, nec in vito Synedrio parati poterant, cum citra Senatus Magni  
consensum miles non exiret. Utrobiq; tamen præcessit Belli indicio, quæ  
sequenti modo peragenda à Deo mandabatur: Cum veneris ad aliquam urbē,  
ne oppugnes eam, primum invita eam ad pacem. Si responderint, se pacem colere  
velle, portasq; aperuerint, sine tibi tributariori, servante tibi omnes, qui in ea ur-  
be sunt. Quod si non ineant pacem tecum, sed bello & armis experiri secum  
malint, obside urbem. Cumq; tradiderit eam Deus in manum tuam, percutte o-  
mnes masculos acie gladii, fæminas vero, puerosq; & jumenta, deniq; quicquid  
erit in urbe, & omnia spolia ejus auferes tibi, fruerisq; predâ hostium tuorum,  
quam dederit tibi Deus. (fff) Feciales igitur missi fuerunt in Clarigatione  
Ebraorum, qui pacem obtulerunt hostibus, adque eam illos invitarunt.  
Quæ pacis conditio, si placuerat, tributariori facti sunt Ebraorum, sin mi-  
nus, vi expugnati atq; cæsi fuerunt. Et si verò, ut apud Seldenum (ii) le-  
go, quidam Ebraorum Magistri Clarigationi illi nolunt locum concedere  
in debellatis septem illis populis, eis tamen non pauca obstant, partim  
quod alicubi (xxx) legatur, nullam Civitatem iniisse pacem cum Israëlitis  
præter Chivæos & Gibeonitas, cæteras omnes bello fuisse captas: Ubi sane  
ex eo, quod pacem amplecti noluerint, & belli adeo aleam subire maluer-  
int, pacem oblaram præcessisse nemo non intelligit; partim quod Rahab in  
gratiam fuit recepta, etiamsi ex illa populorum colluvie fuerit, dummodo

B 2

mori-

(ee) §.3. (ζζζ) n.VI. §.3. (nnn) in Halacha Melachim.c.V. (fff) Dent. XX. 10.  
seqq. (ii) l.VI.de J.N. & G.c.12. (xxx) Josu.XI, 19.

moribus Iudaicis se accommodavit (λλλ). Partim, quod hisce populorum reliquiis Salomo Rex pepereit & jus habitandi concessit in populo, sub fide tributi pendendi (μμμ). Hinc bene Cunæus (vvv): *Sanè, quod legatos de pace prius mitti summus Deus ad eas nationes jubet, in quas Judæi arma parabant, id Ægyptius ille (R. Moses Ben Maimon ΣΣΣ), cui etiam adstipuletur R. Moses Mikotzi (ooo) certissimo documento ( scilicet ex Josuæ XI.19.) pertinere etiam ad septem populos evincit, quorum fortunatas sedes Israëlitis Deus promiserat. Reperio tamen exceptionem de Moabitis & Ammonitis, ex inceptu Loti genitis, utpote quibus denunciatio nulla fuit facta, etsi pax eis non cessat, si ultrò eam rogarint, fuerit; Ita ex Deuteronomio (πππ) discimus, consultis simul Ebræorum Magistris. Vid. R. Mikotzi (ppp). Plura qui hâc de re scire cupit, adeat præter laudatum Seldenum & Cunæum (σσσ) etiam VVilhel. Schickardum. (τττ)*

T H. X.

Illud adhuc monendum videtur, ne quis hic hæreat: Non inconvenienter hic nominari Clarigationem Ebrææ gentis, quantum ad septem illas Cananæorū gentes: Nam cōcedo (1) jus Israëlitis nullum accrevisse ex scelerum mensura & impietate Cananæorum, quicquid alii hic rhetorizentur. Neq; enim protinus genti in gentem jus nascitur, si alterutra scelerosa sit, cū nemo homo, nedum integer populus, integer vitæ scelerisq; purus sit. (2) Neq; tamen titulus repetendarum hic solitariè militabit, quasi Cananæi olim Semi posteros ex hac ipsa regione vi expulerint, eoq; jure repetierint possessionem a chæreditatem sibi debitam: Huic enim, si sola spectetur, usu capio per quingentos annos & ultra opponi posset. Sed (3) hic vel maximè recurrentum est ad voluntatem Dei, qui, si nulla fuisset causa ex parte Cananæorum, jure Supremi Dominii potuisset bona hujus terræ à possessoribus pristinis ad novos transferre. Quamvis autem & Cananæi cōquesti fuerint de injustitia armorum, quæ moverunt Israëlitæ, apud Procopiū (vvv) Evagrium (φφφ), & passim Gentiles illa improbarint, non tamen est, ut à justissimo Deo sine culpa possessionibus fuisse exutos qvis existimet, qvū superstitiones horrendæ, ἀγρωπογνοία abominanda, Necromantia, incantationes, veneficia, anguria & alia magica, qvibus præ aliis ferè gentibus abundabant Cananæi, vindicem Dei oculum dubio procul eò maturius accelerarunt. Sed nunc è diverticulo in viam. Qvod si igitur Deus voluit, ut Legati de pace mitterentur etiam ad populos excidio devotos, utiq; humanaitas postulabit, ut extra hunc casum vel maximè hoc divinum præceptum

obser-

(λλλ) *Jos. II. cap. (μμμ) I Reg. IX, 2. (vvv) l. II. de R. E. c. 20. (ΣΣΣ) l. c. c. VI. (ooo) præc. aff. 118. (πππ) c. XXIII, 6. (ppp) præc. neg. 228 (σσσ) ll. cc. proximè. (τττ in Jur. Reg. Ebr. c. V. Tb. XVI. & XVII. (vvv) lib. de B. Vandæl. (φφφ) l. IV. c. 18.)*

obseruetur. Et profecto sine ratione foret, qvi inficiari vellet, Recte Ratificonem dictare naturali humanitati, ut ne homines in se ruant ferarum instar etcco impetu, sed prius omnia tentent: Adeoq; contra naturalem rationem agit, qvi hostem de satisfactione non prius monet, quam bellum instruitur adversus eū. Fallit ergo & fallitur Grotius, præceptū illud tanquam speciale, solosq; obligans Judæos, adeoq; ex jure gentium esse negans. Et quid molis? Cum ipse Grotius quasi sui oblitus alibi (XXX) agnoscat Legem, quæ Exodi XXII. habetur, intelligendam esse cum benigna exceptione, si scilicet ad primam denunciationem non paruerint? Cur valuisse illud etiā dicit in terra Canaan? Cur, ut confirmet jus gentiū, ibidē in consensum adducit illud Terentii: (†††) Omnia prius experiri quam armis sapientem decet? Cur addit Apolloniū testimonium? Recte Josephus (ωωω) πόλεμον ἀκύρωτον ἐπαγγείλει, ἀρμία, bellum inferre, non antea denunciatum, esse injustum quid.

## THES. XI.

Reqviri autem denunciationem illam jure Gentium communi attestatur Alexander ab Alexandro, (aaaaa) Agellius, (BBBBB) Livius, (yyyyy) alii. Et ipse Grotius (ddd) pro more isthoc gentium citat exempla ex Crazio & Oderbornio. Factum inde, ut Alexander M. eò abierit, ut sola inductione justitiae bellicae causam (licet minus recte) confecerit, teste Plutarcho (eee). Quanquam verò facta contraria non desint, ideo tamen aliquid juris Gentium esse non desinit. Quis negabit capita legatorum jure gentiū sancta esse, nihilo tamen minus celestæ manus iis non pepercerunt? Non enim diffidendum, dari aliquando homines infrunitos & facinorosos, qui contraveniant institutis gentium. Id verò neutiquam tollit aut infringit commune jus, quin roborat potius, quod hi tales infamentiū eternis notis à sanctoribus populi. Certè quam splendidè etiam perorarit Alexander M. de Clarigatione & Justitiâ belli, ita tamen eam sectatus, ut acerbam illam Scythici legati orationem audire coactus fuerit: *Tu, quite gloriaris, ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es.* Vide licet ille pleraq; bella omissâ inductione subito milite inferre consuevit. Sic etiam, quod hic Turca Orizasthani & Neemon Servius deliquerunt, Nicetas (ζζζζζ) non sine reprehensione reliquit, vel ipso citante Grotio. Hic verò frustra juri naturali opposuit Grotius casum, quo Dominus rei suæ manū injicere queat citra inductionem, per Jus Naturæ reqvusatam. Utique & hic

B 3

(XXX) Comment. ad Deut. XX (†††) Eun. IV. 7. 19. (ωωω) I. XV. A. J. (aaaaa) I. V. Gen. die. c. 3. (BBBBB) I. c. N. A. (yyyyy) I. I. & XLV. ab V. C. (ddd) in Netis ad l. c. de J. B. & P. (eee) in Vita Alex. (ζζζζζ) I. III. & IV.

& hic & quum ac justum est, ut si à possessore metuenda fuerit oppositio, prius ab adversario urgeatur restitutio denunciatione facta, & demum, si praestita non fuerit, ad arma procedatur. Nec necessitatē Indictionis bellicæ officit argumentum, quō Denunciatio uni militum facta sufficere assertur: Quandoquidem nullatenus propterea derogetur necessitati. Liceat mobis cum D. D. Zieglero ex Nunciatione novi operis arguere. Etsi enim præcisè non sit necessum, ut nunciatio illa fiat Domino ædificanti, sed sufficiat, si in re præsenti cuicunq; fiat, qui præsens est, sive Dominus is fuit, sive mulier, puer, puella, operarius, faber &c. (nnnn) Eā tamen nunciationem necessariam esse propterea, nemo facile negaverit. Idem de Denunciationis bellicæ necessitate judicium est.

### THES. XII.

Sed nunc videamus quoq; Causam, cur gentes ad bellum illud, qvod jure gentium justum ac solenne est, Denunciationem requisiverint. Hic, si consuletur Grotius, illicò reponet, non fuisse eam, quam nonnulli afferant, ne quid clām aut dolo agerent, id enim ad fortitudinis præstantiam magis, quam ad ius pertinere. Sed ut certo constaret, non privato ausu, sed voluntate uestrisq; populi aut populi capitum geri bellum, nam inde (pergit) nati sunt effectus peculiares, qui negl in bello, adversus prædones, negl in eo, quod Rex gerit in subditos, locum babent. (7777) Geminum hic discursus meretur obelū; Alterum circa finem instituti illius gentium, alterum circa effectus, quos singit hic peculiares. In determinando Fine Albericum Gentilem (iii) rejetit Grotius, qui eam Denunciationis causam assuerat, ne qvid clām dolore ageretur. Non adeò inconvenienter. Nam ejusmodi dolos ac fraudes in bello vel maximè detestabantur moratores gentes; Hinc illud apud Tacitum: Cum boſte aperte fronte agendum, & quod Alexander M. teste Artiano dicere conſuevit: Αἰχδὸν ἐναγκάλιον κλέψει τὴν νίκην, αλλὰ φανερῶς καὶ δηχα τορίσματι θρῆναι υκῆσαι τὸν Αλέξανδρον. Ad ius ergo & opinionē iusti utiq; pertinebit Denunciatio, prout id prolixè dedimus jam suprà. De cœtero ratio Grotiana majori nititur novitate, quam veritate. Quasi verò aliunde constare non posset, bellum voluntate uestrisq; populi, aut populi capitum geri, neutquam privato ausu. Quid n. (sunt verba nunquam satis laudati D. Ziegleri) (xxxx) si in acie uestrisq; jam facta conspiciantur capite populi, numquid denunciatione opus erit ad id, ut constet, non priuato ausu geri bellum? Frustra igitur est Grotius cum suo commento. Novato ausu geri bellum. bis o-

(nnnn) l. 10. § 11 D. de nou. oper. nunciast. (7777) l. c. n. XI. (iii) l. l. de J. B. G. P. c. 2. n. I. (xxxx) l. c. p. 535.

295.

bis omnium rectissimè sentiunt, qui pro genuino Denunciationis fine alle-  
gant ultimum de satisfaciendo monitum. Nimirum eum in finem bellum  
indictum fuit, ut postremò de satisfactione præstanda hostes monerentur,  
eaq; non præstita cruentam belli aleam certissimè expectarent. Ed citra cō-  
troversiam etiam tendunt Moralistæ, qui non solum ante congressum, sed  
etiam post primam coitionem, si hostis condignam offerat satisfactionem, id  
acceptandum eoque bellum omittendum esse disputant: Utut difficultates  
hic occurrant non contemnendæ, an scilicet ex *justitia* obligetur, an ex  
charitate, de quâ distinctione quid habendum sit, alibi exponitur.

### THES. XIII.

Quod Effectus attinet, quos peculiariter ex factâ Denunciatione na-  
scit vult Grotius, & in illis nimium sibi tribuit. Jus interficiendi hostes, res  
hostiles diripiendi, &c. proprios demum indicti belli effectus facit. Post-  
quam enim (λλλλ) quædam Servii verba (ad illud Virgilii :

Tum certare odis, tum res rapuisse licebit.)  
recitaverat, subjungit, doceri illis, inter duos populos eorumve capita  
indicti belli effectus quosdam esse proprios, qui bellum ex suâ naturâ non  
seqvantur. At tantum abest, ut effectus ejusmodi, bello denunciato sal-  
tem proprii, ex Servii verbis possint excuspi, ut vix per somnum in  
mentem venire alicui posse videantur. Provoco ad collationem Servii ab  
ipso Grotio allegati; Et quis quæso tam credulus erit, ut illicò accedat  
Grotio sententi, non habuisse locum illos effectus, nisi per & propter in-  
dictionem? Non licere in alio bello res hostiles rapere, hostes cædere, & id  
genus alia patrare? Finis alias, alia intentio fuit istius Denunciationis,  
prout jam declaravimus. Adebat etiam aliud belli genus, quod sui tuendi  
aut rerum tuendarum ergo suscipitur. Id vero itidem indictione omnino  
egere, quacunq; etiam ratione, non concederim Grotio; Num exulabunt  
illi effectus à bello, quo gens aliqua in aliam præter opinionem irruit, &  
tantum non opprimit, antequam denunciari possit bellum? Non arbitror.

### THES. XIV.

Illud deniq; prætereundum minimè est hic: Num bellum statim, arg.  
indictum est, inferre liceat? Et omnino, si Grotii judicio hic acqviescendū,  
ita procedere fas erit, quippe cui Indictio nullum post se tempus jure gen-  
tium requirit, licet pro negotii qualitate ex naturali jure spatium aliquod  
interdum concedat (μμμμ). Exempli loco citat Cyrus in Armenios &  
Romanos in Carthaginenses bella facientes. Sed iterum cum grano salis  
legens

(λλλλ) l.c.s. IV.m.i. (μμμμ) l.c.s. III, n. 13.

legendus. Quod de jure naturali hic monet, in eō quidem dissidentes nos non habet. At Gentium jure nō requiri aliquod temporis spatium, id verò impudens nimis postulatum est. Constat ex superius disputatis, post indicium bellum ante conflictum tres & triginta dies intercessisse more Romanis confveto. Deinde etiam dictum, qvod doli, fraudis & latrociniī nomen circa bellum abominati fuerint populi cultiores. Jam verò parum à latrociniī culpa tām repentinam irruptionē abesse, & ullo dolore à dolo vix excusari posse violentos ejusmodi armorum impetū, nemo non videt. Nec est, quod quis arbitretur, eam temporis concessiōnem imprudentiæ speciem præferre, quod eo ipso, si tempus indulgetur, vires augere hostis possit, etiam superior evasurus ex morā indīcentis. Quandoquidem æquitatis Regulæ omnino requirunt, ut idem sit concedendum in bello publico, quod in privato æqvū est. Hic verò adversario utique tantum temporis dandum est, quo arma expediāt, & ferrum evaginare queat; Imperatum adoriri vel in privato duello infame, certè illiberale censetur. Parum roboris accedit etiam causæ Grotianæ ex Cyri & Romanorum exemplis. Meminimus enim, ab aliis illa facta omnino fuisse improbata. Et ex facto contrario jus non tolli, supra demonstratum. Concludimus tandem, non modo de jure Naturali sed & Gentium requiri temporis intervallum, quantū sufficit ad deliberationem, indeque concipiendam responsiōnem, cum vel sola hostis promissio bellō abstinere jubeat. De cœtero limes temporis, qui denunciationi intercedit, voluntarii Gentium juris est, alibi sex mensium, alibi plurium aut pauciorum, nam hic terminus liber est, qui pro arbitrio gentium vel prorogari, vel contrahi potest. Et hodiè (ut & hoc addam⁹) illa denunciatio fieri consuevit vel per literas, quas Manifesta vulgo dicere solent, vel per Fecialem, de quo consuli potuit Besoldus (vvvv). Nobis enim prolixioribus hic esse non licet, quippe qui hæc & plura altiora, ulterioribus magisque limatis curis reservamus. Hæc pro ingenii modulo hactenus saltē delibāsse sufficiat.

(vvvv) in Thes. Pract. sub voce Herold.



n (

107

nienſi  
Scipio  
pericu  
eunde  
runtant  
(ε) Q  
Alexan  
navi au  
bus Di  
ro, du  
modi p  
Cicer  
itemq;  
C  
mani,  
ut hodi  
rerum i  
degit re  
qua uel  
glexerit  
est.) Ita  
bellum  
ānjuries  
res, de  
plumme  
quitas fa  
tur, nul  
ciatum a  
id quod  
hic delib  
partes su  
cemos ha  
cere, Pat  
  
(γ) XXI  
Galba c.  
tilinam.  
XXXIII.



persecuturum Boeotios (γ).  
Mamertinorum sociorum  
huius arma induisse. (δ) Ad  
ius injusta arma, pio justoq; se  
n exteris bella recitat Florus.  
audandus est, qui ex eo, qvod  
multa, sine Gubernatore, sine  
serit, justum piumq; & fayenti  
ōdicendus erat locō, Cice  
morat (γ). Innumera ejus  
int de justoq; bello, cui à  
oppositum invenies bellum,

II. Iom istellū dīmī  
ppellandum censuerint Ro  
in proclivi est. Nimirum  
mplet vel justa vindicta vel  
n hæc capita summatim re  
giens, bella solent definiri,  
da est, qua vel vindicare ne  
re, quod per injurias ablatum  
entia suscipiebant, eo quod  
re, teste Varrone, etiam ob  
cius, quā per certos Orato  
riiissent. Audiamus hic i  
uidem (sunt ejus verba) e  
ipta est, ex quo intelligi da  
repetitū geratur, aut denun  
ARIGATIONIS nomen.,  
roinde ejus non immerito  
cat esse obscura, qui clare  
lumentis veterum. Produ  
ille) vellent bellum indice  
proficisciatur ad hostium fi  
nes, &

(?) l.V.de Reb.Alex. (η) in  
X. &c.(κ) Oration. I. in Ca  
ll. ab V.C. (μ) c.Dominus  
cid. Virgilii.